

allegatus. Quia non dicitur, quod nullo modo possit dispensari cum bigamo; sed, quod non liceat dispensare contra Apostolum, videlicet non subsistente gravi et justa causa. Quare etiam Summus Pontifex non solet absque gravissima causa dispensare cum bigamis, præsertim veris ac proprie dictis, ne contra Apostolicam, et in universali Ecclesia receptam consuetudinem, passim agere vincatur; quamvis absolute talis potestas dispensandi non sit eidem ablata, arg. can. ult., dist. 82, ubi in simili casu, Papam ex rationabili causa contra canones Apostolorum dispensare posse, perhibetur. Atque hoc ipsum cum bigamis factum esse, patet ex can. *Si Subdiaconus*, et can. *Lector*, dist. 34, et can. *Quicumque pœnitens*, dist. 50.

31. *Potest episcopus dispensare in bigamia occulta, proveniente ex delicto.* — Resp. II. Potest episcopus dispensare in bigamia occulta, et contracta inde irregularitate, quoties ea provenit ex delicto, juxta concilium Tridentinum, sess. 24, cap. vi, de *Reform.*, ac veluti indubitatum tradit Fagnanus, c. *Nuper a nobis*, n. 9 et 10, h. t.

32. *Non autem in vera, vel interpretativa bigamia notoria.* — Resp. III. Loquendo nihilominus de vera, vel interpretativa bigamia notoria, et contracta inde irregularitate, nequit in ea de jure communi, ac secluso speciali privilegio, dispensare episcopus, ne quidem ad ordines minores, aut primam tonsuram, vel beneficium simplex. Ita Glossa, fin. in can. *Virginem*, 27, q. 1; Fagnanus, c. *Super eo*, n. 29 et seqq., h. t.; Nicolaus Garcias, part. VII, de *Beneficiis*, cap. vi, n. 3 et seqq. ubi refert declarationem sacræ Congregationis concilii circa hoc factam die 30 januarii 1539, et a Sixto V, approbatam; Barbosa, part. II, de *Offic. et potest. episc.*, allegat. 49, n. 25, allegans aliam declarationem sacræ Congregationis concilii in Feretrana, 13 aprilis 1630; Vallensis, h. t., n. 5; Pirhing, eod. n. 28, et alii; licet, ob rationes loco objectionum afferendas, non pauci teneant oppositum.

33. *Et hujus ratio.* — Fundamentum conclusionis, et sententiæ negativæ, desumitur, ex can. *Cognoscamus*, dist. 84, ubi legitur præceptum Apostoli de non ordinandis bigamis, a Patribus in concilio Nicæno ad quosvis clericos fuisse extensum. Hinc in can. *Non confidat*, dist. 50, generaliter dicitur, « ut non confidat quisquam Pontificum bigamos — divinis servituros applicare ministeriis. »

Concordat c. *Si Super*, 2, et c. *Nuper a nobis*, 4, h. t., ubi pariter habetur, quod in bigamia contra Apostolum dispensare non liceat, cum similibus. Insuper in cap. un., h. t., in 6, et in concilio Trident., sess. 23, cap. xvii, de *Reform.*, clerici bigami nullo privilegio clericali gaudere, ac nec in ordinibus minoribus (ex officio nimirum, ac vi ordinis) ministrare permittuntur. Atqui nullibi reperitur episcopis concessa postmodum facultas dispensandi cum bigamis contra præceptum Apostoli, atque allegatos canones; ergo potestate sua ordinaria id non posse, dicendum restat.

34. *Referuntur rationes in contrarium.* — Dices: In can. *Lector*, dist. 34, absolute conceditur facultas dispensandi cum lectore, qui viduam duxerat, sicque bigamus erat, « ut in lectoratu permaneat, aut si forte necesse sit, subdiaconus fiat (eo, quod tunc subdiaconatus nondum censeretur ordo sacer), nihil autem ultra. » Atqui, quando in canone simpliciter dicitur posse dispensari, censetur episcopo data facultas dispensandi: ut pluribus dictum est supra tit. de *Constitutionibus*, § 18, n. 467; ergo. Accedit, quod episcopus cum clericis erimosis post peractam pœnitentiam possit dispensare, ut c. *At sit Clerici*, § *De adulteris, de Judiciis*: sicut et cum illegitimis dispensat episcopus quoad ordines minores, et beneficium sine cura, cap. i, de *Filiis presbyt.*, in 6; idem ergo dicendum de bigamis, ob paritatem rationis. Quinimo, in cap. i, *Qui Clerici vel voventes*, etc., expressum legitur, quod cum diacono, qui matrimonium de facto contraxerat, post peractam veram pœnitentiam dispenset episcopus; ergo.

35. *Ob quas non pauci tenent oppositam sententiam.* — Atque ob has, et alias hujusmodi rationes, non pauci doctores tenent oppositam sententiam, asserentes episcopum posse dispensare cum bigamo, ut accipiat ordines minores, susceptisque utatur, et quoad beneficium simplex; prout tenet divus Thomas, in 4, dist. 27, q. 3, art. 3; Hostiensis, in *Summa*, h. t., in fin. et nonnulli alii, quos refert Fagnanus, loc. cit. num. 24 et seqq., et Barbosa, ubi supra, n. 24, et alii. Verum loquendo de potestate ordinaria episcopi, atque extra casum urgentissimæ necessitatis (quod additur ob dicta superius, tit. de *Constitutionibus*, § 18, n. 470 et seqq.) prior sententia passim censetur probabilior, ac stantibus memoratis declarationibus sacræ Congregationis concilii omnimodis tenenda. Unde ad

propositam objectionem respondendo in forma, negatur consequentia.

36. *Istæque solvuntur.* — Ad can. *Lector*, dist. 34, dicitur, quidquid sit de auctoritate illius canonis, quem Suarez, de *Censuris*, disp. 49, sect. 6, n. 4, et Layman, c. *Super eo*, n. 2, h. t., asserunt non esse Martini Papæ (ut Gratianus inscribit), sed Martini Bracharenis archiepiscopi, qui diversos canones collegit; prout ibidem etiam videtur observasse Annotatio marginalis: quo stante canon ille parum urgeret. Verum, quidquid sit de hoc, ex canone illo nihil probatur; tum quia ibidem non declaratur, quod dicta dispensatio possit fieri per episcopum, præsertim contra præceptum Apostoli, ac prohibitionem concilii generalis Nicæni; tum quia, licet tunc facultas dispensandi fuisset episcopis concessa per Martinum Papam, eadem tamen postmodum foret revocata per subsequentes canones: ut c. *Nuper a nobis*, h. t., et cap. un., eod. in 6, cum similibus; ac novissime per concilium Tridentinum, cit. sess. 23, cap. xvii, de *Reform.*; Fagnanus, loc. cit. n. 34; Pirhing, h. t., n. 29.

37. *Istæque solvuntur.* — Ad c. *At si Clerici, de Judiciis*, et cap. i, de *Filiis presbyter.*, in 5, dicitur, ibi episcopis expresse concedi facultatem dispensandi. Quia igitur impræsentiarum talis expressa licentia nullibi reperitur, dicti canones parum urgent, imo potius militant in oppositum: cum in materia generaliter prohibita, quod expresse non conceditur, ut ibi, intelligatur denegatum, Clem. *Exivi*, § *Porro cum, de Verb. signif.* Accedit ratio disparitatis: quia delicta per pœnitentiam delentur, ideoque hac secuta facile jura concesserunt episcopis facultatem dispensandi; secus est in defectu sacramenti, quem patiuntur bigami, quique nec per pœnitentiam, nec etiam per baptismum tolli potest. Et quamvis pariter illegitimitas per pœnitentiam non tollatur, nihilominus si illegitimi laudabiliter et continenter antea vixerint, cessat contra ipsos præsumptio paternæ incontinentiæ; sicque facilius potest cum ipsis dispensari. Ad cap. i, *Qui Clerici et voventes*, etc., dicitur, illud non loqui de bigamia vera, vel interpretativa, sed de similitudinaria: de hac quippe loquendo,

38. *In bigamia similitudinaria dispensat episcopus.* — Resp. III. In bigamia similitudinaria, si pure talis sit, nec interpretativam admixtam habeat, post peractam debitam pœnitentiam, et vitam longam laudabiliter perac-

tam, potest episcopus dispensare, tam quoad exercitium susceptorum ordinum, quam quoad receptionem majorum. Ita habetur, in c. *Sane*, 4, de *Clericis conjugat.*, et cit. cap. i, *Qui Clerici et voventes*, etc., et amplius declaratur per Glossam, ibid., et doctores passim. Accedit ratio: quia, ut argumentatur Fagnanus, in cit. c. *Super eo*, n. 38, h. t., in proposito non agitur de irregularitate proveniente ex defectu, sed ex delicto; illius videlicet clerici, qui jam constitutus in sacris ordinibus, de facto (quia de jure non poterat) præsumpsit contrahere cum virgine: unde purgato per veram pœnitentiam, et seriam vitæ emendationem tali delicto, non mirum, quod sacri canones facile concesserint episcopis potestatem dispensandi cum talibus.

39. *Si pure sit talis, nec habeat admixtam interpretativam bigamiam.* — Additur notanter, « Si pure sit talis, » etc. Nam quando bigamia similitudinaria admixtam habet interpretativam, ut puta, si clericus in sacris præsumat de facto matrimonium contrahere cum vidua, illudque consummare, nequit amplius cum eo episcopus dispensare: quia talis propter admixtam bigamiam interpretativam incurrit irregularitatem indispensabilem ut cap. ult., h. t. Idemque dicendum de eo, qui antea fuerat conjugatus, et postmodum mortua uxore sacros ordines recepit, bisque receptis, adhuc matrimonium opere casu facto de facto inire præsumpsit; in quo casu procedit, c. *Nuper a nobis*, 4, h. t., ac notat Glossa, in cit. cap. i, *Qui Clerici et voventes*, §. *Dispensative*, sic concordans jura iuribus.

## TITULUS XXII.

### De Clericis Peregrinis.

1. *Præsens titulus quomodo differat a titulo: de Clericis peregrinantibus.* — Quæritur I. Quia ratione præsens titulus differat a titulo penultimo libri secundi decretalium, qui inscribitur, *De Clericis peregrinantibus*? Resp. differre in eo, quia hic agitur de clericis peregrinis in ordine ad receptionem, et executionem sacrorum ordinum; quærendo videlicet, an clerici peregrini, hoc est, extranei, qui non sunt de diocesi, ac præsertim vagi, et ignoti, possint ordinari, vel ad ministran-

dum in ordinibus jam susceptis admitti, et quomodo. Ibi vero, hoc est, in secundo libro *Decretalium*, agitur de iisdem in ordine ad lites; quærendo nimirum, an contra clericos peregrinantes, ac præsertim proficiscentes ad Sedem Apostolicam, possit lis moveri; et qua ratione?

2. *Ordines a proprio episcopo, vel de ejus licentia, sunt conferendi. Remissive.* — Quia igitur superius, tit. XI de *Temporibus ordinationum*, et *qualitate ordinandorum*, § 4 et 5, a. n. 77 et seqq., ex professo jam dictum fuit, quod ordines non nisi a proprio episcopo sint conferendi, et recipiendi; vel saltem non nisi prævia licentia ejus, et obtentis litteris dimissorialibus, ostendendo simul, quis habeat facultatem hasce conferendi: hinc quoad priorem partem, seu ordinationem clericorum peregrinorum, nihil restat dicendum, bene tamen quoad alteram partem, seu qua ratione ipsi possint admitti ad ministrandum in ordinibus jam susceptis. Unde

3. *Circa clericos peregrinos, ut admitti valeant ad celebrandum divina, hodie est observandum decretum concilii Tridentini, sess. 23, cap. XVI, de Reform.* — Quæritur II. Quid observandum circa clericos peregrinos, ut admitti valeant ad celebrandum, vel ministrandum sacramenta? Resp. I. Circa hujusmodi clericos peregrinos, præsertim ignotos et vagos, hodie est observandum decretum sacri concilii Tridentini, sess. 23, cap. XVI, de *Reform.*, sic statuentis: « Nullus præterea clericus peregrinus sine commendatitiis sui ordinarii litteris ab ullo episcopo ad divina celebranda, et sacramenta ministranda, admittatur. » Et merito: tum ut hac ratione malitiis hominum magis obvietur, atque evitentur plurimum fraudes; tum quia tales solent esse suspecti: clerici quippe vagi, et ignoti frequenter sunt criminosi, infames, vel alias irregulares, fugitivi, aut in exilium missi. (ADNOTATIO LIX.)

4. *Explicatur cap. I, h. t., requirens quinque episcoporum sigilla pro admittendis clericis peregrinis ad celebrandum Divina.* — Dices. In cap. I, h. t., habetur expressum, clericos peregrinos non esse admittendos ad divina celebranda, nisi afferant quinque episcoporum testimonia; ergo non videntur sufficere litteræ commendatitiæ solius ordinarii. Resp. negando consequentiam. Quia, licet olim istud fuerit requisitum, ob quorundam fraudes, ac in casu, quando sigilla erant ignota; alioquin enim etiam antiquitus sufficiebant solæ litteræ com-

mendatitiæ proprii episcopi, si notumerat ejus sigillum, can. *Extraneo*, dist. 71, et notat Abbas, cap. II, n. 3, h. t. Nihilominus rigor ille juris antiqui, ob plures casuum emergentias, postea fuit temperatus, ita ut hodie sufficiat solius proprii ordinarii testimonium; cum jus posterius derogat priori.

5. *Si clericus casualiter amisit litteras testimoniales, non sufficit sola oblatio juramenti de sua ordinatione. Sponte ad jurandum se offerens reddit se suspectum.* — Quæritur III. Quid agendum, si clericus per injuriam belli, vel spoliationem latronum, aut alio improvise casu litteras suas testimoniales amisit? Resp. I. In tali casu non sufficit sola oblatio juramenti, quod ipse in clericum fuerit ordinatus, seu habuerit legitimas litteras testimoniales. Patet istud, ex c. *Inter quatuor*, 2, h. t., ac notat Abbas, *ibid.*, n. 2, et doctores communiter. Nam generale est, quod non adhibeatur plena fides sponte ad jurandum se offerenti, c. *Ex litteris*, 4, *De integritate restituit*. Quinimo sponte sese offerens ad jurandum, reddit se suspectum; ut l. *Ait prætor*, 3. 1, ff. de *Jurejur.*, et l. *Si gatarius*, ff. de *Dolo malo*.

6. *Quomodo in tali casu probanda sit ordinatio clerici?* — Resp. II. Clericus ille aligans, quod perdidit litteras testimoniales, debet per testes, qui eas antea perlegerunt, probare hanc amissionem, atque tenorem litterarum, et quod sine vitio fuerint: arg. c. *Cum olim de Privilegiis*, ac notat Glossa, in cil. c. *Inter quatuor*, §. *Per argumenta*, h. t., et Abbas, *ibid.*, n. 3.

7. *Quomodo in tali casu probanda sit ordinatio clerici?* — Resp. III. Quod si nec testes adsint, nec amplius extent, aut aliunde haberi valeant instrumenta ordinationis, et dimissionis suæ; tunc istud per alia idonea argumenta erit probandum, ut puta per famam, communem opinionem ac reputationem, per bonam conversationem, aut alia hujusmodi indicia, atque insuper per juramentum sibi ab episcopo delatum. Ita desumitur, ex cil. c. *Inter quatuor*, h. t., ubi ad hoc probandum sufficere censentur « idonea argumenta: » qualia in defectu aliarum probationum sunt ista, quæ nunc recensita fuerunt, ac notat Abbas, loc. cit., n. 4; Nicol. Garcias, part. VII, de *Beneficiis*, cap. I, n. 143, allegans multiplicem decisionem Rotæ; Mascardus, de *Probationib.*, concl. 305, n. 5; Barbosa, in d. c. *Inter quatuor*, n. 2, citans plurimos alios; ac sequitur novissime Engel, h. t., n. 2. Idque magis est asserendum, quia hic de nullius

prejudicio agitur: qua de causa in simili per eum testem sufficienter probatur quod aliquis sit baptizatus, can. *Parvulos*, et can. *Cum hæque*, de *Consec.*, dist. 4.

## TITULUS XXIII.

## De Officio Archidiaconi.

1. *Ratio ordinis, seu continuationis titularum.* — Explicato tractatu de ordinandis, atque iis, quæ pertinent ad potestatem ordinis, præsertim episcopalis, pergit Compiler ad inferiores dignitates, earumque officia, tractando per plures succedentes titulos de iis, quæ pertinent ad potestatem jurisdictionis, et administrationis. Et quia archidiaconus de jure communi est primus post episcopum, merito præ cæteris de ipso agitur. Unde

2. *Archidiaconus, quis, et unde sic dicatur, quodque ejus olim officium?* — Quæritur I. Quid sit archidiaconus, et quæ ejus dignitas? Resp. I. Archidiaconus sic dicitur, quasi *princeps diaconorum*: Ἀρχιδιάκων enim græce, latine *princeps*; et *diaconi* græce, latine *ministri* dicuntur, can. 1, dist. 21. Unde archidiaconus, seu primus inter diaconos, eorumque princeps, olim cæteris præerat diaconis, ad pauperum ministerium creari solitis; prout desumitur ex *Actibus Apostolorum*, cap. VI. Verum successu temporis crevit auctoritas archidiaconi ex permissione episcoporum, vicaria ejus opera in pluribus utentium. Proinde

3. *Archidiaconi dignitas, quæ? Appellatur Oculus episcopi.* — Resp. II. Archidiaconus, quantum est de jure communi, est primus post episcopum, ac natus vicarius ejus in omnibus, cap. I, h. t., et notant doctores passim. Insuper archidiaconus haud immerito appellatur *Oculus episcopi*: quasi ab eo in specula et statione positus, ut loco ipsius per episcopatum prospiciens, quæ corrigenda viderit, corrigat, et emendet; prout liquet ex c. *Ad hæc*, 7, h. t., et concilio Trident., sess. 24, cap. XII, de *Reform.* Ubi proin statuitur, ut archidiaconi in omnibus Ecclesiis, ubi fieri poterit, sint magistri in theologia seu doctores, aut licenciatii in jure canonico.

4. *Antefertur archipresbytero.* — Ulterius ob tantam sui officii præminentiam, archidiaconus antefertur archipresbytero, hincque ejus jurisdictioni subjacere dicitur, cil. c. *Ad*

*hæc*, 7, h. t., haud obstante, quod cæteris presbyteri præcedant diaconos, can. *Legimus*, dist. 93. Et per hoc patet magna dignitas archidiaconi, de rigore juris communis eidem competens: quamvis in praxi notandæ sint particulares consuetudines, et propria statuta singularum Ecclesiarum, juxta dicenda, num. ult., h. t.

5. *Archidiaconi officium de jure communi, quale?* — Quæritur II. Quod sit officium archidiaconi? Resp. I. De officio, quod de jure communi competit archidiacono, uberius agitur in can. *Perlectis*, § *Archidiaconus*, dist. 25, tum etiam in cap. I et seqq., h. t. Ex quibus locis sequentia officia et prærogativæ, de jure communi, ac seclusis particularibus consuetudinibus, seu constitutionibus singularum Ecclesiarum, ipsi competere dignoscuntur. Imprimis obtinet is primam dignitatem post episcopatum, ut dictum.

6. *Est vicarius natus, et perpetuus episcopi.* — Deinde archidiaconus, est vicarius natus ac perpetuus episcopi, sicque habet cognitionem et jurisdictionem ordinariam, etiam contentiosam, subordinatam tamen jurisdictioni episcopi; prout desumitur ex cil. can. *Perlectis*, dist. 25, juncta Glossa, §. *Et jurgia*, ex cap. I, et c. *Ad hæc*, 7, h. t.

7. *Et quomodo differat a vicario generali episcopi?* — Differt tamen archidiaconus a vicario generali episcopi, quod illius officium sit dignitati annexum (qua ratione is a doctoribus vocatur *Vicarius natus episcopi*) simulque perpetuum, et ab officio episcopi separatum, nec possit ad nutum amoveri: secus accidit in vicario generali episcopi, Barbosa, lib. I, *Jur. eccles. univ.*, cap. XXIV, num. 36, atque hoc posterius magis patebit ex dicendis tit. seq.

8. *Archidiaconus judicat causas minores ecclesiasticas.* — Tertio, minores causæ ecclesiasticæ, seu leviora jurgia clericorum ad archidiaconi tribunal deferenda sunt; per jura proxime allegata, et notat Abbas, seu potius Ant. de Butrio, intra *Opera Abbatis Panormitani* relatus, cap. II, h. t. Innocentius, Joan. Andreas, et alii.

9. *Non tamen potest censuras ferre, nec causas arduas expedire sine episcopo.* — Non tamen potest archidiaconus sine auctoritate episcopi quempiam excommunicare, nec alias censuras imponere, c. *Archidiaconis*, 5, h. t. Neque potest archidiaconus solus, et sine episcopo, expedire causas arduas, cil. c. *Ad hæc*, 7, h. t., et Ant. de Butrio, *ibid.*, n. 1, cum alijs.

Et hujusmodi causa ardua censetur esse depositio clericorum, can. ult. 13, q. 7. Unio, et divisio ecclesiarum, c. *Sicut unire, de Excessib. praelat.* Et generaliter omnia ea inter ardua reputantur, quae non expediuntur per episcopum sine capitulo, arg. c. *Novit, et c. Quanto. De his quae sunt a praelat. sine consens. capit.* Ant. de Butrio, cit., n. 1.

10. *Nec dare litteras dimissorias, neque dispensare, nec visitare monasteria.* — Insuper archidiaconus non potest dare litteras dimissorias pro suscipiendis alibi ordinibus, c. *Significasti*, 8, h. t. Neque dispensare: nam regula est, quod inferioribus praelatis sit prohibita dispensatio, nisi ubi apparet concessa; cum inferior legem superioris tollere non possit, can. *Inferior.*, dist. 21. Neque etiam potest visitare monasteria, vel alios jurisdictionis actus ibidem exercere; nisi in quantum ex longeva consuetudine hoc ipsi permissum esse probetur, cap. ult., h. t.

11. *Neque cognoscere causas concubinitus clericorum.* — Item nequit archidiaconus cognoscere causas concubinitus clericorum, juxta Tridentinum, sess. 23, cap. xiv, *de Reform.*, ubi cognitio criminis adeo sordidi, et statum clericalem dehonestantis, non ad archidiaconum, decanos, aut alios inferiores, sed ad ipsos episcopos pertinere decernitur.

12. *Neque causas matrimoniales, et criminales dijudicare, cum haec ad solum episcopum pertineant.* — Rursus iudicio archidiaconi non subsunt causae matrimoniales, et criminales; sed episcopi tantum examini et jurisdictioni relinquuntur, ex decreto concilii Trident., sess. 24, cap. xx, *de Reform.* Nam causae matrimoniales sunt graves, et arduae, cum in iis agatur quasi de statu hominis; juxta Glossam, 1, in c. *Mulier*, 34, *de Jurejur.*, ac proinde merito iudicio episcopi reservantur, can. *Mullorum*, 33, q. 6, et c. *Accedentibus*, 12, *de Excessib. praelat.* Et haec procedant spectato jure communi, et nisi quis speciali concessione, vel alia legitima causa se tueri possit; prout in cit. c. *Accedentibus*, in fine, recte notatur.

13. *Ex speciali tamen concessione, seu delegatione, potest inferior episcopo causarum matrimonialium cognitionem habere.* — Siquidem imprimis, quod ex speciali concessione, seu ex delegatione, possit inferior episcopo habere causarum matrimonialium cognitionem; patet ex c. *Proposuisti*, 4, *de Probat.*, et cap. 1, *Ut lite non contest.*, et ex c. *Ex litteris*, 4, *De in integrum restitut.*, ubi talis delegatio cau-

sarum matrimonialium inferioribus episcopo per Papam facta legitur.

14. *Et sic archidiaconi de causis matrimonialibus in prima instantia alicubi judicant.* — Qua etiam ratione in nonnullis dioecibus, praesertim amplioribus, ipsis archidiaconis de causis matrimonialibus, et aliis, in prima instantia judicare concessum est ex speciali commissione episcoporum, quam jam diuturna consuetudo confirmavit: quamquam istud non conveniat ipsis vi sui officii, ac de jure communi, sed ex speciali dumtaxat episcoporum concessione seu delegatione. Engel, h. t., 4.

15. *Idem potest contingere ex praescriptione, consuetudine, et privilegio.* — Deinde ex aliis quoque legitimis causis, ut puta ex praescriptione, consuetudine, aut privilegio, posse archidiaconum aut alium episcopum inferiorem, acquirere facultatem cognoscendi de causis matrimonialibus, et criminalibus; probat textus in cit. c. *Accedentibus*, ac tenet Glossa, fin., ibid., et alia Glossa, in cap. 1, §. *Coram archipresbytero, de Consang. et affinit.*; Barbosa, part. III, *de Offic. et potest. episcop.*, allegat. 84, n. 5, citans alios.

16. *Et quid in tali specialiter notandum?* — Ubi tamen dictus Barbosa bene notat sacram Congregationem censuisse, quod etiam in eo casu, quo inferior allegat immemorabilem; nihilominus episcopus, utpote tam de jure communi, quam vigore concilii Tridentini habens fundatam intentionem in cognitione causarum criminalium, et matrimonialium, debeat manuteneri, donec de illa immemorabili per tres sententias cognoscatur: ut testatur Rota, in *Theatina jurisdictionis*, 17 decembris 1612, coram Coccino Decano.

17. *Archidiaconi est, curam gerere super clero, etc.* — Quarto, ad officium archidiaconi, quantum est de jure communi, pertinet curam gerere super clero, et bona conversatione clericorum, sedalique ministeriorum clericalium, per ipsum inter eos dividendum, executione, Ecclesiarum restauratione, doctrinaque ecclesiasticorum, ac caeterarum rerum studio: prout amplius habetur cit. can. *Perlectis*, §. *Archidiaconus*, dist. 25, et cap. 1, II et III, h. t.

18. *Potest visitare ecclesias, seu parochias; et qua ratione?* — Quinto, archidiaconus tertio quolibet anno potest visitare Ecclesias, seu parochias totius dioecesis, si episcopus hanc visitare nequeat, cap. 1, §. fin., h. t. Propriam vero parochiam, sive Ecclesias sui archidia-

conatus, potest visitare singulis annis, ac etiam saepius, si hoc necessitas postularit, c. *Mandemus*, 6, h. t. Quam quidem visitationem, ex decreto concilii Tridentini, sess. 24, cap. III, *de Reform.*, debent archidiaconi, aliique inferiores visitatores, peragere per seipsum tantum, atque assumpto notario, de consensu episcopi, cui etiam visitationis factae infra mensem tenentur rationem reddere.

19. *Ad archidiaconum pertinet examinare, ac episcopo sistere ordinandos.* — Sexto, officium archidiaconi est, examinare promovendos ad ordines, eosque nomine sanctae Ecclesiae sistere episcopo ordinandos, c. *Ad haec*, 7, et c. *Ut nostrum*, 9, h. t., et cap. un. *de Scrutinio in ordine faciend.* Verum jure novo concilii Trident., sess. 23, cap. VII, *de Reform.*, dictum examen promovendorum ad ordines, episcopo cum assistentia virorum peritorum competere dignoscitur.

20. *Item examinare beneficiandos, eosque, et abbates instituere, etc.* — Septimo, ad archidiaconum pertinet examinare beneficiandos, eosque instituere, seu mittere in corporalem suorum beneficiorum possessionem, d. c. *Ad haec*, h. t. Sicut et abbates, et abbatissas, in sede sua ponere, c. *Ut nostrum*, 9, h. t. Istud tamen nequit facere archidiaconus sine consensu, atque auctoritate sui episcopi, can. *Nullus omnino*, 16, q. 7, et c. *Cum satis*, 4, h. t. (ADNOTATIO LX.)

21. *Item ministrare episcopo, et in quibus?* — Tandem, ut nonnulla alia taceantur, ad archidiaconum pertinet episcopo ministrare; ut censuit sacra rituum Congregatio in *una Pisauriensis*, 10 junii 1600. Ac episcopo solemniter celebrante Evangelium, si voluerit, legere, vel alteri diacono illud legendum praecipere, atque alios altaris ministros designare, can. *Perlectis*, §. *Archidiaconi*, dist. 23, et cap. II, h. t. Quinimo archidiaconus, si sit prima dignitas, debet exercere officium presbyteri assistentis cum pluviali episcopo solemniter celebranti, juxta formam caeremonialis episcoporum: prout a sacra rituum Congregatione iterato decisum fuisse, refert Barbosa, lib. I, *Jur. Eccles. univ.* cap. XXIV, n. 50.

22. *Quoad praemissa sunt attendendae consuetudines, et statuta particularia singularum Ecclesiarum.* — Plura de officio archidiaconi dicere superfluum est: quia in variis dioecibus plurima circa archidiaconos in desuetudinem abierunt, vel per vicarium generalem, aut alios ministros expediri so-

lent; adeo, ut Navarrus, cap. XXV, *Manual.* n. 133, quem citat Garcias, part. VII, *de Beneficiis*, cap. VII, n. 38, asserere audeat, se in Hispania neminem scire, qui sit archidiaconus talis, de quo loquitur praesens rubrica. Proinde secundum consuetudinem, et statuta particularia singularum Ecclesiarum, officium, atque dignitas archidiaconi vel maxime erit attendenda, arg. c. *Ad haec*, 2, *de Excessib. praelat.*, ubi Glossa §. *Consuetudines*. Inquit, et varie probat, quod jurisdictio archidiaconi potius ex consuetudine, quam ex jure juvetur. Quod si vero deficiat consuetudo, tunc jus commune attenditur. Barbosa, lib. I, *Jur. Eccles. univ.*, cap. XXIV, n. 37.

## TITULUS XXIV.

### De Officio Archipresbyteri.

1. *Archipresbyter, unde sic dicatur? Olim iidem dicebantur episcopi, et presbyteri.* — Archipresbyter vi nominis idem est, ac Princeps presbyterorum, sive seniorum: hoc est, primus inter seniores. Nam *Presbyter* graece, latine *senior* interpretatur, can. *Cleros*, §. *Presbyter*, dist. 21. Et quidem non tantum propter aetatem, vel decrepitam senectutem (quanquam et haec venerabilis sit, et gloria senum canities, can. ult. dist. 84, cum concordantiis), sed etiam propter eorum sapientiam, et dignitatem ecclesiasticam quam acceperunt, *Presbyteri* nominantur. Unde olim iidem dicebantur episcopi, et presbyteri, cit. can. *Cleros*, et can. *Legimus*, dist. 93. Vocantur etiam sacerdotes, quia sacrum dant: nomen enim *Sacerdos* est compositum ex graeco et latino, quasi *Sacrum dans*: et sicut rex a *regendo*, ita sacerdos a *sacrificando* vocatus est; consecrat enim, et sacrificat, ut d. can. *Cleros*, §. *Sacerdos*, dist. 21, notatur.

2. *Archipresbyter, quis?* — Itaque Archipresbyter idem est, ac primus inter presbyteros, qui videlicet praest, atque imperat aliis presbyteris in iis, quae sunt sacerdotalis officii: sicut a pari primus, seu antiquissimus inter episcopos, appellatur archiepiscopus; et primus inter diaconos archidiaconus.

3. *Vocatur alio nomine decanus.* — Porro Archipresbyteri alio nomine appellantur *Decani*. Non quod necessario debeant praesse